


# PALAEASTRA LATINA



## SUMMARIUM

DE RECTA LINGuae LATInAE PRONUNTATIO-  
NE.—De Qu., (Jové).

NARRAGONIA ET CROCODILOPOLIS, (Viator).

EPISTULARE COMMERCIIUM, (Berthaut, Jové).

CURSUS GYMNASTICUS.—Agricolarum felici-  
tas, (Martija).

COR JESU REFUGIUM NOSTRUM, (Fanlo),  
PER ORBEM, (Jiménez).

BIBLIOGRAPHIA, (Jiménez, Pastor, Fanlo, Co-  
Martija, Jové).

DE LATRONIBUS FABULA—COROCOTTA, REX LA-  
TRONUM, in operculis.

EXERCITATIONES SCHOLARES, in operculis.

COMPOSITIONES VERTENDAE, in operculis.

## VIII TEMPESTAS IMPENDET

**P**ER desertam regionem Paludibus operata iter faciendum erat Romans qui Bajas protendebant. Eo die in illa regio ne prope Paludem quae a via Appia haud longe aberat, duo homines, rusticis habitu simillimi, in opere occupatos se esse simulabant, sed oculos a via nunquam dillebant et quemquam exspectare videbantur. Cum nox jam appeteret: «Hodie res nondum fiet—ait unus ex operariis—nox appetit; regrediamur, Velox, si mihi creditis!». Ille autem quem Velocem comes appellaverat: «Exspectemus paululum etiam, Ganno. Paulo autem posse: «St! Nonne audis equi currentis sonitum?» —«Ita est, mehercule». Tunc audita est vox cuculi: «Signum!» —exclamaverunt ambo et abieci instrumentis ad viam cucurserunt. Compresso equi cursu, eques quidam incedebat agros oculis collusfrans: «Tandem ades! Non maturius venis» —obgannit ille qui regredi volebat — «Semper morosus (*de mal humor*), amice!» responderet ridens eques, dum ex equo desilit. «Seda iram meam quoniam adsum, et mitte comitem qui Corocottae nuntiet Aulum jam advenire, eumque moneat ut omnes copias comparet, nam Aulus non solum a servis suis sed etiam a multis militibus protectus accedit. Velox per paludes currens illico discessit.



## IX TEMPESTAS MINITATUR

**F**acile coniceret lector Velocem et Gannionem esse Corocottae socios. Eques autem etat miles quem in armis protinus generis sive pecunia sive timore sibi conciliaverat rex latronum, inter quos nonnulli erant urbanae securitatis custodes. At ubi Velox abiit, Ramus —hoc enim cognomen militi inditum erat—dixit Gannioni: «Non miror te impatiens fuisse nam saepe ego proximis his diebus iacundia exarsi. Sciebam enim Aulum ab itinere Corocottae ministri deterritum non fuisse, sed ignorabam quo die esset urbem reliquerus et utrum via Appia an via Latina iter vellet facere. At forte fortuna Syro uno ex ministris Auli utor familarissime. Syrus autem iste bonum vinum non fastidit; adduxi eum in Suburrae propinam et dum alter alteri propinamus Caecubi poculis omnia quae scire mihi oportebat ab imprudenti Syro sum expiscatus». Ambo riserunt et, cum equus animum reciprocasset, Ramus vale Gannioni dixit et citato equo se proripuit ea qua venerat.





# PALAEESTRA LATINA

MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pesetarum in Hispania, 7 in America et Lusitania, 8 in reliquis civitatibus. Premium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España.

## De recta linguae Latinae pronuntiatione

### De complexione litterarum Qu (sequitur)

b) **Q** credita est littera simplex atque eadem ac **c**. — Probatum reliquimus in numero praecedente *q* non esse litteram simplicem, sed compositam ex *c+v*. Maxime interest nostra animadvertere nunc, priusquam porro procedamus, eam compositionem litterae *q* communiter ignotam remansisse. Inter grammaticos, qui nihil peculiare viderunt in littera de qua agimus, eminet Priscianus. Liceat aliquid tantum ex pluribus ejus testimoniorum adferre: «*K* et *q* quamvis figura et nomine videantur aliquam habere differentiam, cum *c* eandem tam in sono vocum quam in metro potestatem continent». <sup>(1)</sup> Et paulo inferius hoc modo sequitur: «Quamvis in varia figura et vario nomine sint *k* et *q* et *c*, tamen quia unam vim habent tam in metro quam in sono pro una littera accipi debent». <sup>(2)</sup> Quod etiam probare contendit cum alibi hoc addit: «In *c* quoque nulla syllaba superior desinit, ni sequens quoque a *c* vel a *q* incipit, ut *bacca*, *bucca*, *soccus*, *ecquis*, *quicquam*; atque ex hoc quoque ostenditur eandem vim habere *c* et *q*.<sup>(3)</sup>

Sergius in Donatum<sup>(4)</sup> etiam perspicue rem eandem credidit: «Ex mutis-ait ille-removentur propter illam quam diximus rationem *h k q*; *h* quod adspiratio sit, non littera; *k* et *q* ideo quod *c* littera harum locum possit implere».

Accidentalem tantum tribuebant veteres differentiam his tribus litteris *c k q* ut deducitur ex hoc Marii Victorini testimonio: «*K* et *q*

(1) *Priscianus* Keil, II, 12. — (2) Id. Ibid. 13. — (3) Id. Ibid. 47. — (4) Id. Ibid. IV, 520.

supervacue numero litterarum inseri doctorum plerique contendunt, scilicet quod c littera harum officium possit implere; nam muta et otiosa parte qua c incipit, pro qualitate conjunctae sibi vocis, supremum exprimit sonum. Nihil tamen interest utra earum prior sit c seu q sive k, quarum utramque exprimi faucibus, alteram distento, alteram producto ictu manifestum est». <sup>(1)</sup>

c) *Huic litterarum complexioni q (=c+v), addita est postea u parasitica quae primitivum sonum repraesentaret.* — U litteram parasiticam reputant omnes qui eam nec vocalem vocant nec consonantem. In his adnumerabo primo Donatum quia ita scripsit: «U littera interdum nec vocalis nec consonans habetur, cum inter q litteram consonantem et aliquam vocalem constituitur». <sup>(2)</sup> Sergius autem eandem rem prosequitur his verbis: «U vero hoc accidit proprium ut interdum nec vocalis nec consonans sit, hoc est non sit littera cum inter q et aliquam vocalem ponitur». <sup>(3)</sup> Priscianus autem: Est quando (u littera) amittit vim tam vocalis quam consonantis ut cum inter q et aliam vocalem ponitur, sicut jam commemoravimus, ut quis, quoniam». <sup>(4)</sup> Et Velius Longus: «Auribus quidem sufficiebat ut equus per unum u scriberetur». <sup>(5)</sup> Adverte tamen animo, lector humanissime, eos tantum loqui de inutilitate hujus litterae u qui credunt nunquam scribi debere q (=c+v) nisi comitante alia u, scilicet qu (=c+v+u), qui mos communiter invaluit.

d) *In complexione litterarum quu (=c+v+u) ea u quae utilis remanet, seu primam seu alteram malis, estne vocalis an consona? Et si consona, estne consona liquida?* — Jam imprimis dico eam non esse vocalem quod clarissime testatur Velius Longus: «V litteram digamma<sup>(6)</sup> esse interdum non tantum in his debemus animadvertere in quibus sonat cum aliqua adspiratione, ut in valente et vitulo et primitivo et genitivo, sed etiam in his in quibus cum q contusa haec littera est, ut in eo quod est quis; nam si omnino haec vocalis esset, procul dubio haec syllaba longa esset, quoniam numquam duae vocales conveniunt nisi ut longam syllabam faciant. Unde est in equo u pro consonante posita». <sup>(7)</sup> Latius hoc explicare pergit hoc modo: «Ubi cum littera q confusa est u, vicem consonantis habet, cum dico arma virumque cano et quisquis es armatus, ideo quoniam et ante diximus nunquam duas vocales coire, ut non longam syllabam faciant; at in eo quod est que manifesta brevitas est, ideoque in eo pede quisquis es, nemo dubitat quin dactylus sit, cuius prima syllaba longa est». <sup>(8)</sup> Idem docet Terentius Scaurus: «Q littera aequa retenta est propter notas, quod per se posita significaret quaestorem et quia cum

(1) Kell VI, 33. — (2) Ibid. IV, 367. — (3) Ibid. IV, 467. — (4) Ibid. II, 28. — (5) Ibid. VII, 59. — (6) Sic vocata est ab antiquis v consoua. — (7) Kell, VII, 58. — (8) Ibid. VII, 49.

*illa u littera conspirat, quotiens consonantis loco ponitur, id est pro vau littera ut quis et qualis».<sup>(1)</sup> Hanc veritatem licet etiam deducere ex eo quod scriptum reliquit Marius Victorinus: «Cum adverbium temporis antiqui quattuor litteris scribebant his: *quum*; apud Catonem rursum per o *quom*; sed antiqui cum ita scriberent, pronuntiabant tamen perinde ac si per c scriptum esset, illa quidem scriptura confusa quod u pro consonanti et o pro vocali correpta accipiebant.<sup>(2)</sup> Et inferius: «Reliquias voces quae ante vocalem habuerint u pro consonante positum, ut quando, quaeritur, quispiam, quoddam, per q potius quam per c scribetis».*

Sed illa u est consona liquida. — Liquidae consonantes a grammaticis dicuntur quae sunt quodammodo molliores et ab aliis consonantibus comprimi possunt. Fractae autem vocabantur illae consonantes quae liquidas comprimunt, quia et illae quodammodo franguntur. Amissa sonitus utriusque parte, ambae simul vim habent unius consonantis. Unde ita loquitur Sergius: «Uneque vocalis est quia habet post se o, neque consonans quia habet ante se q; enim vero erit pars illius litterae, id est q.<sup>(3)</sup> Pompejus autem grammaticus hac disputat ratione de u quae est in *quoniam*: «Quid ergo dicemus? Dicemus eam nihil? Dicis nihil, sed tamen est littera. Quid erit ista? Pars erit litterae praecedentis, etenim ipsam litteram praecedentem sonat. Et vide quemadmodum sonat et invenies quoniam naturalem sonum habet et istarum. Quando dicens que, quid sonat nisi q et e? Ergo inde inventur u littera nec vocalis esse nec consonans, sed pars esse litterae praecedentis»;<sup>(4)</sup> Quod nos melius dicimus consonantem liquidam. Quam recte sententiam nostram expressit Vossius<sup>(5)</sup> cum dixit: «His cum rationibus tum auctoritatibus subnixus statuo et ipse c k et q eandem esse essentia litteram, utut paullum *liquecat* v litterae sonus cum inter q et vocalem medium obtinet locum». Et in capite XIX sic prosequitur: «Porro ex his omnibus colligimus sex in universum esse liquidas, at dispari tamen ratione *liquidas* vocari. Nam v inter q et vocalem ejusdem syllabae positum, uida dicitur quia nunquam vim producendi habet». Ego vero tanti viri venia dicere et probare ausim vel in hac re, in producendis scilicet per positionem vocalibus natura sua brevibus, cum aliis litteris liquidis v post q etiam convenire. Lucretius in eodem versiculo i primam *liquidi* adjectivi et natura brevem praebet et positione longam: *Crassaque convenientia liquidis et liquida crassis*.<sup>(6)</sup> Produxit etiam eandem in sequentibus versibus<sup>(7)</sup> *Liquidus humor et uberibus tient omnia guttis*;<sup>(8)</sup> *Principiis factam quam liquidus humor aquai est*;<sup>(9)</sup> *Esse magis fluido quae corpore liquida constant*;<sup>(10)</sup> *Pondus ubi saxis, calor ignibu' liquor aquai*. Et Vergi-

(1) Keil, VII, 15. — (2) Ibid. VI, 13 — (3) In Donatum Keil, IV, 521. — (4) Keil, V, 104. — (5) De Arte Gram. I, 1, c. XVIII — (6) IV, 1252. — (7) I, 350. — (8) III 428. — (9) II, 452 — (10) I, 423

lius<sup>(1)</sup>: *Educunt fetus, aut cum liqventia mella.*<sup>(2)</sup> *Quales aëriae liqventia flumina circum.* Quamvis in aliquibus editionibus correctum video sequentem versiculum Lucretii, non est improbabile dixisse poëtam<sup>(3)</sup>: *Quae calidum faciunt, aquae tactum atque saporem;* alii autem: *Quae calidum faciunt laticis tactum atque saporem.* Ex his omnibus constat u quae sequitur post q, siquid est, consonantem esse et quidem liquidam.

e) Nunc tractandum venit *quomodo u post q sit pronuntianda*. – Si cum Germanis loquar nihil negotii sit in re explicanda, nam illi, ut saepe audivi, eam litterarum complexionem perfecte pronuntiant in *Qual*, *Quelle*, *Quitte*, *Quote*, cet. Visne igitur eam pronunciationem recte callere? Ausculta hominem Germanum linguam Latina more suo proferentem. Quintilianus hoc habet: (K) similis (q) effectu specieque, nisi quod (q) paullum a nobis obliquatur.<sup>(4)</sup> Aliquatenus explicatum reliquit Donatus:<sup>(5)</sup> «*Cui per q veteres scripsere. Nimirum nihil inter qui et cui interest, nisi quod diphthongus aliter atque aliter effertur ut scilicet modo u, modo i integrum tempus absumat*», Rotterodamus sonum ejusmodi litterae quodammodo docet his verbis: «*Graeci v nostrum consonans quo reddant non habent... Quintus non aliter possunt quam Kōlytōς quod eram litteram velut evanescētem nesciant...* Indicavit hoc Quintilianus in *aequor* et *equum* reddi sonum quem Graeci nullo modo possint exprimere». <sup>(6)</sup> Sergius qui scripsit non esse vocalem neque consonantem sed partem q litterae, indicavit quaenam esset illius pronunciatione: «*U aliquando nihil est, ut cum dicis quoniam; u neque vocalis est quia habet post se o, neque consonans quia habet ante se q; enimvero erit pars illius litterae, id est, q*». <sup>(7)</sup> Quod Pompejus grammaticus confirmat: «*Invenitur u littera (in que) nec vocalis esse nec consonans, sed pars litterae praecedentis*». <sup>(8)</sup> Cellarius<sup>(9)</sup> sic loquitur: «*Velio Longo (littera u post q) consona est, quia si vocalis esset, quis non esset breve, cum duae vocales in una syllaba productionem inferant. Contra si consonans, prima in equus longa foret positionis lege. Vides difficultatem, quam elabi forsitan licet, si nec consonam nec vocalem per se dicamus esse, sed litterae q facilioris pronunciationis causa adjectam*». Ex his deducere licet u post q, quae est consonans secundum quid, pronunciationi ut appendicem labiale litterae c.

f) *Casus alii in quibus u eandem vicem experitur.* – Quaestio illa dimidiata remaneret, si ad finem hujus lucubrationis eam partem minime tractaremus. Ne tamen nimis inmoremur dicam cum Eras-

(1) Aen. I, 432. – (2) Id. IX, 679. – (3) VI, 868 – (4) Inst. Or. I, 4. – (5) Andr act. I, sc. 1 apud Gasp. Sclopium. – (6) Dialogus de Pronuntiatione. – (7) Kell VI, 521. – (8) Ibid. V, 104. – (9) De orth. Lat Cons. Mutationes.

mo<sup>(1)</sup>: «*Illud notissimum est, u litteram frequenter transire in natu-ram consonantis, interdum illidi, nonnunquam sic admisceri consonantibus ut propemodum evanescat...* Admisceret autem his consonantibus *q g s* ut *cui, aequor, sanguis, anguis, lingua, consuesco* et *suavis*, si adsit synaeresis et faciat dissyllabum; nec tamen hic *prorsus evanescit*». Communiter adseri potest hujusmodi esse pronuntiationem *u* post complexionem litterarum *ng*. Sic Priscianus<sup>(2)</sup> *U* au-tem, quamvis contractum, eundem tamen sonum habet inter *q* et *e* vel *ae* diphthongum positum, ut *que, quis quae*, necnon inter *g* et easdem vocales, cum in una syllaba sic invenitur ut *pingue, sanguis, linguae*. Et inferius addit<sup>(3)</sup>: Amittit vim tam vocalis quam consonantis ut cum inter *q* et aliam vocalem ponitur, sicut jam commemo-ravimus ut *quis, quoniam*. Hoc idem plerumque patitur etiam inter *g* et aliquam vocalem ut *sanguis, lingua*. *S* quoque antecedente et se-quente *a* vel *e*, hoc idem saepe fit ut *suadeo, suavis, suesco, suefus*». «*Itali in unguento – ait Scioppius<sup>(4)</sup> – ex ue, posteriorem integre pro-nuntiant, priorem u tanta celeritate ut recte Terentianus dicat eam parte tantum fungi temporis.*

Quibus adjicere volo autoritatem Marii Victorini haud semel laudati;<sup>(5)</sup> Vocalis nulla, bis eadem posita, facit ullam syllabam ut *as-siduus, exiguus, Leocoön, tribuunt, statuunt* et similia; at cum prae-ponitur vocali, tunc accipitur pro consonanti ut est *anguis extinguit: lingua, pelvis*». Despauterius qui scripsit saeculo decimo saeculo<sup>(6)</sup>, «*U* post *g* et *s* quandoque, post *q* semper *liquescit*, id est, nec vo-calis nec consonans haberi potest, nec penitus nulla littera; neque enim profertur ut vocalis nec penitus supprimitur, sed quasi laugui-diore quodam sono raptim pronuntiantur ut *languor, lingua, aqua, suadeo, suavis*».

**Conclusio.** Q initio fuit littera composita ex *c+v*; postea credita est littera simplex atque eadem ac *c* ante *o* et *u* collocanda. Q cre-ditae simplici addita est altera *u* ut fieret *qu* quae redderet sonum primitivae *q* (*c+v*). Inde orta confusio inter auctores quorum alii supervacaneam *q* dicebant, quia *c+v* ejus sonum dabant, alii vero additam *u* dicebant neque consonam esse neque vocalem, ac proinde parasiticam; quia *q* jam erat *c+v*. *U* autem, quae in utroque casu remanet, non est vocalis, sed consonans secundum *quid seu liquida*. Pronuntiatur ut appendix labialis litterae *c*. Eandem conditionem ha-bet *u* post *ng* et in sequentibus vocalibus: *suadeo* (*svadeo*), *suavis* (*svavis*), *suesco* (*svesco*) et derivatis.

EMMANUEL JOVÉ. C. M. F.

(1) *Dialogus de pronunciatione*. – (2) Keil II. 7. – (3) Id. Ib. 28. – (4) *Inst. Gramm. Lat.* – (5) Keil, VI, 9. – (6) *Ars versificatoria*, I, 1.

## Narragonia et Crocodilopolis

### ACTUS QUARTUS

#### IV 3. BARO, BUFO (*sequitur*)

**BUFO.** — Sed ne ipse quidem retinebor, quin ad calculos revocem. Rhinocoracem istum, qui notavit ignominiis, non solum ipsius fratrem mariti, sed etiam legatum regis extraordinarium ab omnibus copiis electum, ut certamen singulare iniret cum fortissimo milite Crocodilopolitano: erat autem, sicuti postea fando audivi, nemo alius atque Abderrhaman filius Mammutis Califae.

**BARO.** — Affer, Bufo, mihi celeriter paludamentum recens purpureum, quod, priusquam Salamandria profecti sumus belligeratum mutuum acceperimus. Toto splendore militari circumdatus procedam, ut procis et hostibus majorem injiciam tremorem ac formidinem.

**BUFO.** — (*paludamento citissime allato induit Baronem*) Bombar! Quantam speciem Martiale! Mira similitudo intercedit inter te et Vulcanum! Sed cave, rex, ne quid vestiarii fratres, qui paludamentum tibi mutuum dederunt, audiant nos redisse Salamandriam; aliter periclitaris, ne fortunis tuis potiantur.

**BARO.** — Ne quid formidaveris, lepuscule, sed te confer clam ad palatium et indica, cum fatigatione et animo perturbato oppresus paulisper quiesco, Balsaminae filiae et Phantaso castellano custodi me a multis militibus et regius circumcinctum in patriam redisse procos in arce versantes graviter ulturum.

**BUFO.** — Mandata statim perferam. (*abit*)

#### IV 4. BARO *solas*

Nunc omnia vertentur in meliora. — Singula temporis momenta existimo annum. — Ira et acerbitate animi ardeo in procos, qui pacem et concordiam et tranquillitatem domus regiae ausi sint disturbare. — Vae victis! — «Acerbum solacium mihi mansit: numero meorum capita et ecce mihi deest nonnullum caput carissimum». (1) Deos Olympios calamitatibus me persecui taeduisse speravi et tres annos molestiarum et onerum plenos tandem reddituros esse fucundos mihi ad patriam et familiam reverso. — Subvenite mihi, ne quis maledicus de me

garriat: «En Baro, qui rex Narragoniae clarissimus Crocodilopolim evertit, arrogantiam heroum suppressit, Augiae bubilia una hora solus purgavit, Amazonas prostravit, Sirenas centicipites contrivit, imperatorem Napoleonem in Oceani insulam captivum transmisit, hic Baro rex ultimam vitae partem senex morosus degit contumeliis et opprobris cumulatus! — Totus exaurior aegritudine; antequam sollemniter intravero Salamandriam, paulisper hic conquiescam. (*sedit in scamno et obdormiscit*) (*Aulaeum promittur*)

### ACTUS QUINTUS *prospicitur ars Salamandriæ regis*

#### V 1. SAMUEL et ABSALOM *praeterambulat alter cum altero;*

**BARO** *in scamno sedens dormit*

**SAMUEL.** — Cum celsis dominis agere in jucundum arbitror ac periculosum esse nobis, quod commodatas vestes

nunquam fere ad tempus remittunt et perdiu nos exspectantes faciunt pecuniam pendendam.

(1) Schilleri poëma, cui est nomen «Cantus Campanæ».

**ABDALOM.** — Verum dixisti, Samuel frater; sed cur nos ipsi sumus tam stolidi, ut vestes distribuamus mutuas sine cautione? En hic consedit cum paludamento splendidissimo! (*dextra manu ostendit Samueli Baronem dormientem*). Per barbas omnium prophetarum, veste commodata sic abuti est dedecoris abominandi et rusticitatis detestabilissimae. — Heus tu, princeps, num videtur esse urbanitatis et humanitatis ac cultus dormire hic tam praeclaro vestimento serico indutum?

**BARO.** — Per cunctos diabulos inferorum, quis me dormientem crudeliter audet turbare et excitare?

**ABDALOM.** — Ego sum Absalom negotiator vestipex; habito in Salamandriae via salaria; nonne me nosti?

**BARO.** — Per tonitrua caeli et fulmina, non novi te. Ego autem sum Baro rex Narragoniae toto orbe terrarum clarissimus.

**ABDALOM.** — Et ego cum hoc fratre et socio sum officinae vestiariae praefectus, qui vestes et vestimenta do mutua.

**BARO.** — Ego Crocodilopolim urbem superbissimam et tripliciter munitissimam exstinxii, Centauriae margaritam splendidissimam et delicias incolarum primarias.

**ABDALOM.** — Mel maiores habitabant Hierosolymis in urbe, templo aureo Salomonis ornata.

**BARO.** — Ego huc adveni atrocissimos poenis adversarios meos ulturus.

**ABDALOM.** — Et ego hic adsum repetiturus paludamentum tibi mutuo concessum et exacturus pecuniam mihi pendendam.

**BARO.** — Sed narra, quaeso, quae res agantur in Narragonia!

VIATOR, S. D. V.

(sequetur)

## Epistularum commercium

*Henricus Berthaut «Palaestrae Latinae» Conscriptoribus salutem.*

Reverendissimi Patres: Operum quae a nobis accipere vultis duo vobis exemplaria curo mittenda; quae utinam Aristarchis vestris non displicant!

Liceat mihi hac uti occasione ut vos faciam certiores, quanto cum oblectamento, quotiescumque hoc advenit, menstruus vester commentarius a me et collegis legatur, vobisque ut gratuler quod tam gnave de Latina lingua mereamini.

Credite me, quaeso, sincerissima cum fide vestri observantissimum.

*Parisiis X Kal. Junias.*

*Emmanuel Jové dignissimo Domino Henrico Berthaut, s. p.*

Cum gratiarum actione propter opera ex vobis ad nos missa, has, quaeso, accipe litteras grati animi testes tuae illius in nos benevolentiae et erga «Palaestram Latinam» aestimationis, quam brevissimo epistolio tuo ostendisti. Jam nosti ad Horatii bis milesimum aniversarium aliquatenus celebrandum nos Extraordinarium numerum parare. Atqui, nonne tuo calamo commentarium nostrum honestabis? Id speramus fore. Vale et tibi nos addicissimos habeto.

*Cerveria VIII Kal. Junias.*

## CURSUS GYMNASTICUS

In Georgica (II 458-531)

### AGRICOLARUM FELICITAS (sequitur)

Sollicitant alii remis freta caeca ruuntque  
In ferrum, penetrant aulas et limina regum,  
Hic petit excidiis urbem miserosque Penates                    505  
Ut gemma bibat et Sarrano dormiat ostro:

*Sollicitant*: cf. Georg. II 448, *Sollicitanda tellus* (sc. arando, fodiendo); et Tibullus I, 8, 39 *Primus aratra manu solerti fecit Osiris Et teneram ferro sollicitavit humum*. Sunt homines qui auri sacra fame pernoti, freta omnia enavident, etiam occulia et inexplorata, et plena incertorum casuum et periculorum propter latentes scopulos (*freta caeca*). De quibus Horatius (*Sat.* I, 22) *Impiger extremos curris mercator ad Indos, Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes*. Putat Wagner non hic agi de mercatura, sed omnia (*sollicitant freta... penetrant aulas... ruunt in ferrum*) de bello Romanorum cum externis dici; ita etiam opinatur Benoist (*Oeuvres de Virgile* t.

I, in h. l.). *Petit excidiis*: Adlusio ad bellum civile, et fortasse ad Antonium et Cleopatram, quorum conjugium *Capitolio dementes ruinas, Funus et imperio parabat* (Hor. *Carm.* I, 37, 6 seq.). *Miserosque Penates*: Brunckius perperam legit *miserosque parentes* «quia post octo interjectos versus excurrit rursus clausula *parvosque Penates*». *Ut gemma bibat*: i. e. patera gemmis ornata. *Sarrano dormiat ostro*: Codex Mediceus habet *indormiat*. *Sarrano ostro* i. e. purpura Tyria. «Quae nunc Tyrus dicitur ait Servius, olim Sarra vocabatur, a pisce quodam qui illic abundat, quem lingua sua *sar* appellant».

Condit opes alias defossoque incubat auro;  
Hic stupet attonitus rostris; hunc plausus hiantem  
Per cuneos geminatus enim plebisque patrumque  
Corripuit; gaudent perfusi sanguine fratribus                    510  
Atque alio patriam quaerunt sub sole jacentem.

*Condit opes*: Quod reprehendit Horatius (*Sat.* I, 1): *Quid juvat immensum te argenti pondus et auri Furtim defossa timidum deponere terra?* (cf. *Aen.* VI, 610: *aut qui divitiis soli incubuere receptis*). Professor anglicus M. Seeley, citatus a Conington, applicat Caesari v. 505 et 506, Crasso 507, Pompejo 508, 509, nixus fortasse illis Lucani versibus de Pompejo (*Phar.* I, 132): *Multa dare in vulgus; totus popularibus auris Impelli, plausuque sui gaudere theatri*.

*Hic stupet rostris*: Alius quaerit eloquentiae forensis laudem. Verbum *stupeo* in sensu *valde mirari* invenitur etiam cum ablativo in Horatio (*Carm.* II, 19, 33): *Illis carminibus stupens*; (*Sat.* I, 4; 28) *stupet Albius aere*. *Saepius* cum ac-

cusativo (cf. *Aen.* II, 31 «pars stupet inuptae donum exitiale Minervae»). *Hiantem*: notat admirationem qua corripitur spectator, cum theatrum plausibus resonat. *Cunei*: in theatro erant loca seu ordines spectatorum, ita dicti a forma cunei; ab eadem forma nomen accepit militaris cuneus. *Geminatus enim plebisque patrumque*: Haec verba parenthesi non subjicio, sequens Ribbeck et Heyne (contrarium sentientibus Vossio, Haup, Ladewig, Guetling). In hac lectione sensus est: hunc rapit plausus plebisque patrumque, *iteratus* (*gemitatus*) quidem (enim) per cuneos. *Geminatus* sibi vult *iteratus*, *saepius repetitus*; consonat Cicero (*Part. orat.* 6, 21) *geminata verba atque duplicita vel saepius etiam iterata ponantur*.

Juxta eos qui hemistichium parenthesi includunt, *geminatus plausus* est plausus *ex utroque ordine* (plebisque patrumque) procedens. Vox enim, ait Wagner, asseverandi habet potestatem ut non multum differat a particula *quidem*. Similia habes exempla in Aen. VI, 317: *Aeneas miratus enim motusque tumultu...* et VIII, 85: «*quam pius Aeneas tibi enim, tibi*

*maxima Juno ma&gt;at*». *Gaudent perfusi: graecismus pro gaudent perfundi sanguinem, vel perfuso sanguine.* Item Aen. X, 500: *gaudetque potitus*; Horat. Epod. II, 19: *ut gaudet... decerpens* (vid. Wagner, Quæst. Verg. XXIX, 6). *Domos et dulcia limina: endiades pro dulcia limina domorum.* (cf. Hor. Carm. II, 16, 18: «*quid terras alio calentes sole mutamus?*»).

*Agricola incurvo terram dimovit aratro:*

Hinc anni labor, hinc patriam parvosque nepotes

Sustinet, hinc armenta boum meritosque juvencos.

515

Nec requies, quin aut pomis exuberet annus

Aut fetu pecorum aut Cerealis mergite culmi,

Proventuque oneret sulcos atque horrea vincat.

Vers. 513-531, Agricolarum felicitas describitur hominum sollicitudini ad satiandas cupiditates comparata. Bonae quae ex agricultura proveniunt, duplices sunt generis, utilia (v. 514-522) et jucunda (v. 523-531). *Agricola incurvo:* Innumeris fere modis Vergilius conceptum arandi, agri colendi exprimit. En nonnulli ex Georgicis deprompti: «*Depresso incipiat jam tum mibi taurus aratro Ingemere et sulco attritus splendescere vomer*» (I, 45). «*Exercetque frequens tellurem atque imperat arvis*» (I, 49). «*Ante Jovem nulli subigebant arva coloni*» (I, 125). «*Prima Ceres ferro mortales vertere terram instituit*» (I, 147). «*Scindere terram. Et campum horrentem fractis invertere glebis*» (III, 160).

*Dimovit:* Perfectum dictum consuetudinis, significatione aoristi Graecorum, pro solet *dimovere* positum, quod ita explices: jam aliquoties dimovit, ideoque conditione redeunte, etiam nunc dimovet, et postea dimovebit. cf. Cicero, (*De Fin.* I, 15, 49: «*Ob eamque debilitatem animali, multi parentes, multi amicos, non nulli patriam, plerique autem se ipsos perdididerunt*»). Horatius (*Art. poet.*, 343). «*Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci*». Saepe praesens et praeteritum simul in eadem oratione adhibentur; ut *Georg.* I, 261-263: «*Durum procudit arator Vomeris obtunsi dentem, cavat arbore lyntres, Aut pecoris signum aut*

*numeros impressit acervis*». *Aen.* V, 144: «*Non tam praecipites bijugo certamine campum Corripuere ruuntque effusi si carcere currus*».

*Anni labor:* sc. fructus laboris per annum. Per metonymiam enim *labor* dicitur quidquid labore perficitur, i. e. laboris effectus; ut *Georg.* II, 155: «*Adde tot egregias urbes operumque laborem*». Et Ovid. Met. I, 273: «*Sternuntur segetes longique perit labor irritus anni*».

*Parvosque nepotes:* Ita Codices Palatinus et Romanus; Mediceus habet *penates*. (*Aen.* VII, 543, legitur: «*excitat exterumque larem parvosque penates*»). Malim alioquin et ipse, ait Heyne, *patriam parvosque penates*; dummodo non v. 505 *miserosque penates* antecessisset. Ribbeck sequitur Palatinum et Romanum. *Nec requies quin...* Locutio impersonalis quae sibi vult: *nec mora est, semper, sine intermissione*; i. e. «*nullum est anni tempus quo cesseret proventus vel ex pomis, vel ex pecoribus, vel ex agris.*» P. La Rue interpretatur: *nec cessat* (agricola) *donec...*

*Pomis exuberet annus:* Poma exubent in anno; locutio valde poetica, quam meminit Plinius in *Trajan Paneg.* (29), cum ait: «*Omnibus usibus nostris annus exuberat*». *Mergite:* merges est fasciculus spicarum, mergis seu furculis comprehensus. «*Manipulos spicarum mergites dicimus*» (Servius, in h. 1.) *Horrea vin-*

*cat: praeclare ad magnam copiam significandam. Subiectum orationis est annus.* Eodem sensu dicitur *Georg.* II, 45: «*ru-*  
perunt horrea messes».

**Venit hiems: teritur Sicyonia baca trapetis,  
Glande sues laeti redeunt, dant arbuta silvae;  
Et varios ponit fetus autumnus, et alte  
Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.**

520

*Venit hiems, teritur... Particula et (aut ea omissa) haud raro ne&t;tit partes orationis, ubi res proxime et celeriter consecuta esse dicitur. (cf. *Georg.* I, 80: «Plantae inmittuntur, nec longum tempus et ingens Exiit ad caelum ramis felicibus arbos»). Hor. *Sat.* I, 3, 49: «Parcius hic vivit, frugi dicatur».) *Sicyonia baca:* Syneccdoche, sumpta re particulari pro generali. *Sicyon* est urbs Achaiae, non longe ab isthmo Pelopponeso. *Trapetum:* i. e. mola olearia fuse describitur a Varrone (*De re rust.*, 50, 5, 31). *Glande:**

Aliqui hoc verbum conjungunt cum *redeunt*; alii potius ad *laeti* referunt.

*Ponit:* deponit, cadere sinit. Etiam supra, (v. 403): «Ac jam olim seras ponit cum vinea frondes».

*Mitis:* matus. Sic *Georg.* I, 344: «*Miti Baccho.* Bucol. I, 80: *mitia poma.*» *Coquitur vindemia:* Locutio valde frequens ad designandam maturitatem. «Antequam fici coquantur autumno» (Plin. 18, 7). «Canicula messes jam dudum coquit». (Pers. *Sat.* 3).

**Interea dulces pendent circum oscula nati,  
Casta pudicitiam servat domus, ubera vaccae  
Lactea demittunt, pinguesque in gramine laeto  
Inter se adversis luctantur cornibus haedi.  
Ipse dies agitat festos, fususque per herbam,  
Ignis ubi in medio et socii cratera coronant,  
Te libans, Lenaee, vocat, pecorisque magistris  
Velocis jaculi certamina ponit in ulmo.  
Corporaque agresti nudant praedura palaestrae.**

525

*Interea dulces pendent:* De his versibus ait Rollin (Traité des Etudes): «L'exemple (*interea dulces*) fournit une image encore infiniment plus gracieuse et qui est puisée dans la nature même. Un père qui veut baisser son enfant, se combe vers lui; et quand l'enfant a mis ses tendres bras autour de son cou, le père se relève et le tient ainsi suspendu. Le mot *pendre* suffit pour peindre cette image». «*Demittunt:* ubera lacte demissa gerunt. *Ipse:* sc. agricola, colonus. «*Ipse*, ait Wagner, (*Quaest. Verg.* XVIII, p. 460) pro disjunctiva hujus pronominis proprietate, etiam sic dicitur, quemadmodum apud Gracos ἀντός, ut aliquis non suo ac proprio nomine commemoratus ita per pronomen *ipse* significatur, ut ad quem illud pertineat per comparationem praegressae orationis demum colligatur». (cf. *Georg.*

III, 376). *Ignis:* ad sacrificium super aram positus. *Socii:* sc. operum; (cf. Horatius, *Ep.* II, 1, 139, 143): «Agricolae prisci... condita post frumenta... cum sociis operum pueris et conjugi fida». *Lenaee:* Bacchus cognomine Lenaeus invocabatur, praesertim in vindemia. Proprie lenaeus (ληναῖς) est adjektivum, omnia quae ad vinum pertinent, significans. *Pecorisque magistris:* sc. pastoribus. (cf. *Ecl.* II, 33): «oviumque magistros». *Tib.* II, 5, 35: «gregis magister». *Nudant:* Sic habent codices Romanus et etiam Mediceus, teste Foggino. *Palaestrae:* Ita praestantissimi codices; (alii legunt *palaestra*). Ergo *agresti* in tertio casu est, quod patet ex *Lucr.* (V, 969). «*Corpora nudabant terrae*». Et *Aen.* (V, 586): «Et nunc terga fugae nudant». HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

## *Cor Jesu Refugium Nostrum*

*Passer procella turgidum ceu territo  
Caelum volatu transmeat,  
Petique plangens nidulum suum anxior  
Gratis latebris abditum;  
Sic ipse, Jesu dulcis, expeto tua  
Adire sacra vulnera;  
Semper meum spirare pectus debile  
Ut vult ibi ferventius!  
Me terret umbra, quo recludor carceris  
Raucusque venti sibilus;  
Terret trisulca fulminis fax ignea,  
Axisque totus personans.  
Tu cor meum, gravatum, precor, balsamo  
Vocis tuae delenias,  
Tuique visus lucibus caliginem  
E mente depellas mea.  
Ad Cor tuum da, care Jesu, ut advolem  
Quod nidus est blandissimus  
Ilicque dulcis usque vitae spiritu,  
Ipso forente, perfruar.  
Tuis me amantis lacrimis commisceam  
Meas dolentis crimina  
Et amnis instar aridum cor irrigent,  
Nigramque labem proluant.  
Tuis meos da, quaeso, possim nectere  
Perintimis amplexibus,  
Tuisque mista lacrimis ardentibus  
Jucunda gustem suavia.  
Ne me retineas amplius, cum ferreat  
Fragor resultans undique.  
Exsolve, quaeso, quae ligant me vincula  
Infausta caelis exsulem.  
Illic meos gavisus usque senties  
Cantus canentis gratius,  
Ceu passer almi niduli sub tectulo  
Pergrata mulcet cantica.*

LEANDER FANLO, C. M. F.

**MONITUM.**—Lectoribus nostris optamus benignos aestatis soles atque tranquillam a scholasticis laboribus requiem. Ineunte aut procedente mense octobri non antea, ut moris est, eos omnes, Deo volente, resalutabimus. Bene vobis!

## Per Orbem

### Q. Horatii Flacci vicies centenaria commemoratio

In superiore fasciculo mensis decembris (1) nonnulla conscripsimus de anni bis millesimi commemoratione a nativitate Q. Horatii recurrente. Nunc denuo in idem incidere placuit, quo sive facta in hac re sive agenda luculentius lecturis adpareant. Tamen ut *lucicus ordo*(2) – verbis licet Horatianis uti – magis luceat ac splendeat, congruum habuimus hanc qualemcumque scriptiunculam dividere partitionibus quas in his plagulis conspicies.

**I. Societates** primo quae annum bis millesimum a nativ. Horattii recolere statuerunt breviter proponam: Romae in Italia Institutum Studiis Romanarum rerum provehendis sub regimine Dris. C. Galassi Paluzzi; Mediolani Dre. Augustino Gemelli, O. F. M. moderante universitas catholica Smi. Cordis; in Yanquilandia American Classical League Coetum constituit Dre. C. Flinkinger praeside. Idemque in sua quoque provincia ac societate Dni. Clmi. Claudius Zeppa de Nolva in Instituto Gallico Matritensi Professor, Boisacq et Heuten Professores Belgae, Andreas Oltramare moderator societatis Genevensis Studiorum Latinorum, Professores Germani Bauer Meister, Stroux, Kroll, Barwicz; demum Prof. Rumanus T. Jordanescu, Coetus Amicorum Classicorum quem Prof. Budapestino Andreas Horvath moderatur atque in America Meridionali Prof. Aurelius Espinosa Polit, S. J. (3) De Academia Regia Italiae mentionem honorificam facere oportet, cuius erit omnium Italicarum societatum proposita et conatus adjuvare ac moderari itemque de Academia Scientiarum Ulyssiponensi qui concessum sollempnem ordinan-

vit in qua inter alios cl. I. Dantas et E. de Castro sermonem haberent,

**II. Collationes** publicas ad memoriam suscitandam Horatii Flacci ubique terrarum hoc anno perdurante audire licet. Laudatum antea Romanarum rerum Institutum duplē collationum seriem paravit, altera Italicis relatoribus commendata, altera vero clarioribus omnium populorum viris concredita. En relatores Itali: V. Ussani, Horatius relate ad historiam: Giglioli, Italia prisca in Horatianis carminibus; Paribeni, Augustus ac Horatius; Monteverdi, Horatius in medio aevo; Romagnoli, De rhythmo, metro, musica Horatianis; Coppola, De amore in Horatio; Bodrero, De philosophia Horatiana; Beltrami, Horatius ac res naturae; Galassi Paluzzi, Horatius «Romanus»; Lugli, De villa Horatiana; Liuzzi, De traditione Horatiana in musica Latina mediæ aevi.

Relatores exteri de influxu Horatiano in uniuscujusque populiscriptoribus comparate disserent hac ratione: A. Boethius pro Helvetia, J. Herescu pro Rumania. J. Husszt pro Hungaria, J. Marouzeau pro Gallia. R. Newald pro germania. W. Nørvin pro Dania, L. Radermache, pro Austria. C. Ribó pro Hispania. L. Sternbach pro Polonia, A. W. Van-Buren pro America, H. O. White pro Anglia (4) Praeterea in conventu Budaeano superiore mense Nicaeae habito Dr. Villenueve in Horatianis operibus maxime versatus de Venusini vatis virtutibus dissertationem orationem fecit Necnon Cl. H. Romagnoli collationem aditialem (1934-1935) Barcinone habuit in Instituto ad Italicum cultum promovendum in qua Horatium immortalem poëtam ostendit (5).

(1) Pal. Lat. a. V p. 55. – (2) Art. Poet. 41. – (3) cf. The Classical Journal, 1934, p. 122. – (4) Il Libro Ital. Dic. 1934, p. 12. – (5) Litteras accepimus a Patre Urquiola, O. F. M., in quibus nos certiores facit Accademie solemnis quam Onuati parat in honorem Horatii Flacci. In ea non nisi Latina lingua civitate donabitur. Quod bene vertat!

**III. Bibliographia.** Nec desunt commentarii qui Venusini memoriam apud gentes vel recoluerunt aut data opportunitate recolent. At primas dicit, ni fallor, in hac re Namurcus commentarius «*Les Études Classiques*» qui in numero mensis Januarii magnum rerum auctorumque pondus prae se fert. Auctores qui in laudem Horatii paginas plus 150 in eo scripserunt sunt: Colmant, S. J. Faider, Hanozin, S. J., Guillemin, Gueuning; Galletier, Remy, Wagenvort, Scalais, Jacob. In Gallia commentarius *Les Humanites (Classes de Lettres. Janvier 1935)* de Horatio scriptiunculas lectoribus degustandas obtulit a clmis. viris signatas videl. Bertahut, Marouzeau, Guillemin, Boudout, Des Granges. Idem dicendum de commentariis *University of Iowa Service Buletin* (Vol. 18, n. 17, 51), *The Classical Journal* (Vol. 30, n. 2), *Latin Notes* (Vol. 12 n. 4). *Parthenon* (VIII, 1934; 55). *Universal* (Bucarest, 31 Aug. 1934), *El Debate* (Madrid, 1-I-35), *El Correo Catalán* (Baraña, 19-XII-34), *Nova et Vetera* (16 ann. n. 3), *Gnomon* (10 Band. Heft 9, 1934), *Revue des Études Homeriques*, *Gymnasium* (20 Aprí, 5 Magg. 1935) cum omnibus fere commentariis Italicis.

At PALAESTRAM LATINAM quidni memorem cum in proximum scholare curriculum evulgare quoque intendat elucubrationes Horatianas a conspicuis professoribus promissas, quarum nonnullae jam ad nos pervenerunt? Nunc vero eorum tantum nomina sufficiat effere qui nostrum commentarium exornare libenter promisserunt: A. Avenarius (*Habert*), Litt. Latinarum in Germano gymnasio Teutschenreuthensi Professor, D Ruiz, C. M. F. in Philos. et Litt. pro-

lyta atque Litt. Lat. in Instituto Bibili-tano Prof., A. Segalá in Philos. et Litt. doctor etc. atque Litt. Graecarum in uni-versitate Barcinonensi Prof., F. Rebélo. Gonçalves in Philos. et Litt. doctor atque Litt. Lat. ac Graec. in universitate Ulysiponensi Prof., J. Llobera, S. J. Prof. emeritus ac scriptor illustris. P. Cañizares Tusculi in Italia Litt. Lat. Prof., E. Jové, Palaestrae Latinae moderator, H. Martija et J. M. Jiménez. Litt. Lat. professores, R. Ríos, O. S. B. in Conlegio Ramsgate in Anglia Litt. Graec. Prof., I. M. Toribios, O. S. B. Grammatices Prof. in monasterio Sti. Dominici Silensis, atque A. Espinosa Polit, S. J. in Conlegio Rei publicae Aequatoria-nae «Cotocollao» Litt. Lat. Prof. Quod ad libros de Horatio attinet modo pro-dierunt Frenkel, *Nella patria di Q. Orazio Flacco*, Venosa p. 244; Villenueve, *Epitre d'Horace*, Paris *Les Belles Lettres*, 1934; Collin, *Odes d'Horace*, Liége, Dessain, 1934 Praeterea Dr. Halberstadt generalem Horatii bibliographiam parat (6). Prof. E. Schmitz, O. S. B. atque G. J. Murphy, S. J. opus curant perficere de Horatio a Patribus Ordinis Sti. Benedicti ac So-cietatis Jesu exculto atque vulgato; de-mum professores Conlegii «Cotocollao» in Republica Aequatoriaña Studia Horati-a typis mandare cupiunt sicut anno MCMXXXI Studia Vergiliana man-darunt.

Nunc de peregrinationibus, concursi-bus, dramatica Carminis Saecularis exe-cutione cet. loqui oporteret, sed in com-mentaris *Revue des Études Latines* (1934, p. 169) necnon *Il Libro Italiano* (Febr. 1935, p. 3) ampliorem notitiam lectores humanissimi invenient.

J. M. JIMÉNEZ, C. M. F.

(1) Rev. des Et. Lat. 1934, p. 36.

## Bibliographia

**Kretschmer y Hrozny.** — *Las lenguas y los Pueblos Indo-europeos*, (con dos mapas en colores) Traducción de M. Sánchez Barrado y A. Magarifos. — Colección de manuales de «Emerita», n.º I. Madrid, 1934, p. 110.

Moderatores commentarii Matritensis «Emerita» operum philologicorum seriem hoc primo volumine incipiunt. quod proxime alia subsequentur volumina. Nostra vero quid refert nisi hoc opus quantum possumus laudare ac PAL. LAT. lectoribus commendare? Impossibile sane materiam hujus fasciculi sufficienter declarare qui continet duplcem laborem, alterum Cl. Kretschmer de linguarum indo-europearum speciebus, historia, methodo; alterum, auctore Hrozny, de antiquissimae linguae hititae seu melius *nesitae* familia necnon de interpretatione documentorum. Tum M. Sánchez Barrado et A. Magarifos qui haec duo opera hispanice exararunt, tum praesertim Julianus Bonfante qui volumen duplici tabula exornare voluit vivide et multiplici colore expressis in laude et aestimatione habendi. His omnibus sicut suis conlegis García de Diego, Hernando Balmori, J. M. Pabón vi quorum studia lingüistica ac philologica classica in Hispania suscitar coepta sunt, fortuna adsit faveatque in omnibus.

**Humbert.** — *Mitología Griega y Romana*; con un prefacio del Abate E. Thédenat. — Versión de la 24<sup>a</sup> edic. francesa. Barcelona, Gustavo Gili, Enrique Granados, 45, p. 311, grab. 152.

Praestantiam hujus operis XXIV editiones paucissimo spatio temporis in Gallia ortae testificantur. In Hispania rarissimae sunt id genus opera, ut est remissus fervor quo litterae classicae coluntur; tamen his Graecae ac Romanae mythologiae tractatus mirificos apud nos

afferet fructus sicut apud Gallos, Belgas. Helvetianos attulit. Praestantiae operis adde necessitatem disciplinae mythologicae sine qua interpretatio classicorum impossibilis plerumque evadet. Preterea incommoda moralia quae ex hac disciplina oriri possent auctor non tantum diligenter devitat sed etiam christianas veritates erroribus mythologiae sapienter opponere curat.

**Norwood-Wight Duff.** — *Escritores de Grecia y Roma*. — Versión del inglés por E. Martínez Amador. G. Gili, Ed. pp. 300. grab. 47.

Hoc opus verae necessitati respondet. Sunt etenim apud nos aliqua de Romanis scriptoribus opera ex. gr. Alemany-Cortés, Gudemann. Echauri; at de Graecis scriptoribus nullum memini si hoc Cl. Gilberti Norwood opus excipio. Unde consilium simul edendi historias scriptorum tum Graecorum tum Romanorum non possum non laudare; tamen si summariam bibliographiam pro singulis scriptoribus auctores proposuerint, uti Lauraud facit et Humbert, ampliore commendatione dignum esset opus de quo agimus.

**P. Dumas.** — *La pronunciation «Française» du Latin depuis le XVI siècle* — S. E. Les Belles Lettres, Paris, 1934; pp. 46.

In serie paedagogica Societatis Studiorum Latinorum adparet his fasciculus, sed in serie historica reponi potius oporteret. Auctor enim in eo investigat qualis fuerit pronuntiatio Latina apud Gallos et unde sumat origines. Quod vero ad veram pronuntiationem Latinam refert exstat fasciculus J. Marouzeau. *La pronunciation du Latin* de quo P. Dumas mentionem honorificam habet.

J. M. JIMÉNEZ C. M. F.

**Appiani Alex.** — *Romanorum Historiarum quae supersunt.* — Vol. I-IV.  
Lipsiae. Sump. Ott. Holtze.

Editiones steriotypae Ottonis Holtze quae fama, charta, typis commendantur. sumptuum quoque levitate — ut nunc est librorum caritas — maxime sunt aestimanda. Tamen in his quattuor Appiani voluminibus brevissimae desiderantur signationes Latinae singulis historiis respondentes uti in editione Xenophontis, de qua postea, optimo consilio ad parent.

Appianus saeculo II p. Chr. scripsit graece populi Romani historias in quibus non chronologice facta proponit, sed juxta bellorum populorumque diversitatem. Earum ad nos pervenerunt quae in hac editione continentur videl. De regibus Romanorum, de rebus Italicis, Samniticis, Hispanis Punicis, Macedonicis, Syriacis, Illyricis; de bello Hannibalico, Mithidratico, de bellis civilibus.

**Xenophontis.** — *Opera: Anabasis-Memorabilia.* — Lipsiae, Sump. Ottonis Holtze.

Accepimus haec duo Xenophontis opera quae in nullis linguae Graecae scholis deficere debent. Xenophon enim quamvis princeps scriptorum Graecorum reputari nequeat, tamen prae omnibus in prima institutione est adhibendus, praesertim haec duo opera sc. Anabasis et Memorabilia: nam et argumento et sermonis stylique simplicitate omnino placent. Praeterea in hac Tauchnitiana editione summaria rerum expositio textui Graeco latine praeponitur, quod utilitate minime caret.

**Xénophon.** Vol. I. — *Anabase, Économique, Banquet, De la Chasse, République des Lacédémoniens, République des Ateniens;* Voll. II, *Cyropédie, Hippocrate, Équitation, Hiéron, Agésias, Revenus.* — Traduction nouvelle avec notices et notes par Pierre Chambray, Prof. aulyce

d'Amiens. Paris, Libr. Garnier Frères.

Post ea quae breviter de operibus Xenophontis modo diximus nihil restat nisi bibliopolam *Garnier Frères* ob multiples classicorum editiones magnificare paeconis. Quod vero ad libros attinet quos hodie Xenophontis proponimus, ipsi continent Gallicam tantum interpretationem. Haec interpretatio duplex inter alia adfert commodum: alterum quod scriptis Xenophontis frui possint qui linguam Graecam non callicant, alterum quod ea interpretatione adjuvari valent tirones ad textum Graecum rectius ac citius intellegendum.

JULIANUS PASTOR, C. M. F.

**Cornelius Nepos.** — A. Hatier. — *Oeuvres* par Anne M. Guillemin, 8. rue d'Assas VI, Paris.

Unam et alteram editionem Cornelii Nepotis, auctoris scholarium manibus quam qui maxime versatis hoc ipso loco recensuimus. Novam hodie jungimus gallice adnotatam. Laudem praecipuam in ea habet quod introductio, bibliographia, grammatices et lexici notulae sobrie quidem sed omnino perspicue et evidenter ponuntur. Neque praetereundum est quod libellus passim per totam 280 paginarum seriem illustrationibus ad rem et ad documenta pertinentibus abunde ditatur. Quod quidem in ceteris omnibus, quas noverim editionibus desideratur. Ideo scholaribus omnibus immo et praeceptoribus si non unice, amplissime sine dubio haec editio commendanda.

L. FANLO, C. M. F.

**Simon Prado, C. SS. R.** — *Praelectio-nes biblicae ad usum scholarum.* — *Vetus Testamentum.* — *De sacra V. T. historia.* — In 8.º, XX, 520, 1934. Marietti Torino.

Opus hoc optime meritum et magna laude inter scientiarum biblicalarum cultores notum alio nunc ditatur volumine historiam V. T. complectente, quod studio librorum didactico-poeticorum

totiusque theologiae biblicae proxime complebitur. Iterum auctor felici atque experta manu librum suum iisdem ornavit dotibus, quarum egregium testimonium in Propedeutica biblica nuper jam dederat. Ne volumen nimium cresceret et sic brevitatem scholae usui consonam amitteret, pauca solummodo eaque indispensabilia, ex amplissima V. T. provincia collecta sunt. Inde fit ut praeter quaestionem de Pentateuchi moysica authentia, brevissime alia quaeque Introductionis capita pertractentur dum exegesi fere exclusivus locus, quod quidem in manualibus V. T. utilissimum putamus.

Illud praecipue omni laude dignissimum est quod prophetas omnes non sejunctim, ut praecipi auctores faciunt, sed in generali populi israelitici historia ita collocat ut longe clarus jucundiusque fiat studium jam suapte natura difficultatibus nimis abundans.

M. CODINA, C. M. F.

**A. Barrera.** — *Sintassi latina corredata di esercizi e di temi continuati.* Milano, 1934.

Hoc opus dicatum est alumnis qui Latinitatis studio integrum jam biennium incubuerunt. Regulae grammaticales breviter exponuntur, admixtis exemplis et thematis ad exercendum. In hujusmodi exercitiis fere tota reseratur historia Romana, ut alumni qui classicas litteras edocentur, simul historiam populi Romani mente complectantur.

Deest (idque desideratur) fontium et auctorum classicorum designatio, unde themata et exercitia sunt desumpta.

**Stace, Silves.** — *Traduction nouvelle de Henri Clouard.* Garnier, Paris.

Poëmata quinque libris distributa, *Silvae* appellata vel quia sunt varii argumenti ut arbores in silva, vel quia poëtae rudia visa sunt et impolita, quippe quae «subito calore et quadam festinandi voluptate fluxerunt», ob notitias quas præbent magni momenti sunt,

at vitiis non vacua, ut ait Quintilianus, (10, 3, 17) Versibus plerumque hexametris scripta sunt, partim vero lyricis. Interpretatio saepe *spiritum* potius quam *litteram* poëson sequitur, quod doctus interpres consulto fecit. Textui critico Klotzii adduntur adnotaciones criticae Marklandi, Wollmerii et Krohnii.

**Virgilio.** — *Obras completas.* — Prólogo, interpretación y comentario de Lorenzo Ríber, de la Academia Española. Madrid, 1934.

Omnibus qui in Hispanio classicis litteris, praesertim Latinis delectantur, notissimum est nomen Laurentii Riber, egregii poëtae et poëtarum interpretis. Ex ejus poëmatibus catalaunicis, quedam praemio decorata sunt in diversis certaminibus. Classicorum Latinorum studium propagavit, maxime poetae Mantuani, cuius Aeneidem catalaunice ediderat a. 1917; nunc demum in bis milenaria Vergilii commemoratione, opera omnia poetae edidit hispanica lingua; opus vere aureum, non modo nitiditate editionis (libellus enim deaurata pagellarum caesura et fulva pelle decoratur, breviario similis), sed praecipue stilo vere classico et conciso, et simul exulto et elegante, multa verborum varietate et novitate. Ut paucis absolvam: editio Laurentii Riber maximum est et *aere perennius* monumentum, ni fallor, quod Hispanicae litterae Vergilio exegerunt.

H. MARTIJA, C. M. F.

**Walde.** — *Latein - etymolog. Wörterbuch.* — Lieferung 8 Preis: geh. 1.50 Mk — Heidelberg-Lutherstr. 59.

Spectati semper adveniunt novi fasciculi in annos prodeuentes mirabilis vocabularii A Valde cuius tertiam editionem curat J. Hofmann Postremus editus fasciculus est octavus ex serie, quinque comprehendens plagularum missus (Bogen 36-40), quorum primus incipit a vocabulo *fulmen* et ultimus explicit voce (*h*) *herctum*. Pergat feliciter præstantissimum opus quo adeo firmiter prætendit. EMMANUEL JOVÈ, C. M. F.

## BALNEUM <sup>(1)</sup>

Marce, veni mecum, tibi si placet ire lavatum!  
Nil pueris sanis dulcius esse puto.  
Marmoreo in labro circumsonat unda natantes,  
Pumice de fragili quae cadit irrigua.  
Ecce secant pueri spumantes pectore fluctus,  
Mergitur et placidis ille tenellus aquis.  
Subjicit hic in aquas corpus sublime micantes  
Clamat et alter, uti rana coaxat aquis.  
Sic strepitus complet circum vagus undique tectum  
Ictaque perpetuo murmurat unda sono.  
Omnia continuo motu versantur in undis  
Resque suo potis est nulla manere loco.  
Crede mihi, nulla est puerorum tanta voluptas,  
Quanta est in liquidas mergere corpus aquas!  
Ut revocant laetum thermae per membra vigorem,  
Sic hilarant animos, quos labor urget atrox.  
Quodsi vis animum corporusque levare parumper,  
Marce, veni mecum, candide Marce, veni!

FRIDERICUS C. HULTGREN

## Hispanae Alumnorum Catholicorum Confoederationis Hymnus

Acer antiquum decus aemulandi  
Ardor Hispanam refovet juventam;  
Litteras poscens, patrium levare  
Gestit honorem.

Alma lux verae sophiae coruscet,  
Quam patres saecli coluere magni;  
Aureum claris properans palaestris  
Frondeat aeum.

Turma vexillum studiosa pande;  
Dux, Dei Verbum, tribuet triumphos:  
Pulcra quot surgunt redimita cultis  
Tempora lauris!

ISAAC M.<sup>a</sup> TORIBIOS RAMOS, O. S. B.

(1) Ad tempus aestivum non incongruum hoc carmen edere nobis visum est, quod condidit, cum vitales carperet auras, Fridericus Carolus Hultgren honoratissimus Lipsiae Magister Professoris Doctoris atque nostri amicissimi Hansii Lamerii cui ob hujus carminis et aliorum missionem plurimam referimus gratiam.

## Exercitationes Scholares

**Avarus.** L.—Erat homo extra modum avarus, qui pecuniam vitae loca habebat. Quondam, cum ambularet cum filio suo per oram fluminis, cum defecisset pes, cecidit in aquam. Turbatus filius petivit opem dicens: illum, qui salvet patrem meum, ego remunerabo liberaliter. Pater, qui luctabatur in aqua, enixus est maxime, exeruit caput et ad illum clamavit: «Puer ne nimium promittas!» Parum interest me suffocari, sed non multum impendere pecuniae, hoc interest».

Ricardus CASAS

Cervariae.

II.—Avarus extra modum erat homo quidam qui pecuniam vitae loco habebat. Die quadam cum deambularet cum filio suo per marginem fluvii, pede deficiente, in aquam prolapsus est. Filius plenus pavore, auxilium petivit dicens: Remunerabo liberaliter patrem meum sospitanti. Luctans in aqua pater enixus est maxime, caput exeruit eique vociferatus est: Puer, ne solvas maximis! Me submergi parvi refert, sed non impendere magnam pecuniae summam, hoc multum interest.

Hannibal IGNACIO

Segoviae.

**La calabaza y la patata.**—La calabaza despreció a la patata, nacida cerca de ella, llamándola soberbiamente la más despreciable de las hierbas, que producía frutos tan toscos, que la vergüenza le impedía sacar fuera de la tierra. Cuando alababa los suyos decía que eran hermosísimos, de variado color, figura y

volumen; y que podía calocar sus propias riquezas en alto, sobre un árbol. La patata dijo a la envidiosa: En vano te engríes; solamente puedes ser alabada por la hermosura; porque careciendo de fuerza sirves de comida, donde no hay ninguna sustancia. Pero lo peor es, que los hombres llaman ordinariamente con tu nombre a la cabeza loca y vacía. El bien se ha de alabar por la hermosura, pero mucho más suele el varón sabio alabar los buenos frutos.

Johannes FÁBREGA, C. M. P.

Cervariae.

**Dos ancianos trillando.**—Un anciano que cultivaba hábilmente un campo florentino y que alababa en su más alto grado los pasados tiempos, puestas en la era las gavillas, solamente quería trillar con el trillo, con el mazo o con los caballos: y riéndose irónicamente de los nuevos inventos, no quería usar de la máquina movida por el vapor, la cual en breve desgrana las espigas. Por el contrario, un anciano fiesolano, conocido suyo, acostumbró usar de ella. De repente, en los meses de verano, habiendo estallado la guerra, se buscan muchísimos víveres para tropas muy numerosas. Entonces el fiesolano vende una muy grande cantidad de grano a buen precio y alegre llena el bolso. Mas el florentino entristeciéndose entiende tarde que muchas veces debe usarse de los nuevos inventos para provecho propio.

Segoviae

Julio ORTEGA, C. M. P.

## PHILATELIA

Quiere V. favorecer grandemente las Misiones de negritos e infieles? — No desperdicie V. ni un sólo sello sea nacional, sea extranjero.

Todos los recibe con gusto y agradecimiento

Visne Missionibus Nigritarum atque infidelium summopere favere? Ne unum quidem signaculum neglegas, sive nationale siue exterum:

Omnia ea recipit libenter et grato animo

EL CÍRCULO FILATELICO MISIONAL. - UNIVERSIDAD, CERVERA (Lérida) España

